

lacho hoc fugit infans & purgatur. Atqui ita vis purgatrix cum suo proprio subjecto & spiritu, in tot mutationibus integra & incorrupta manet. Hæc ille Quæ ipsa purgandi facultas pro causâ principali formam habet, accidentariam eqvidem, dum scil. primò in ventriculo, hepate & mammis capræ: in ventriculo deinde hepate & mammis nutricis, in ventriculo deniq; & partibus infantis est. Plura in hanc rem facientia qui discupit, adeat *B. Sperlingium ll. cc.*

§. 6. Tandem *Forma Specifica* omnium præstantissima ac nobilissima est, Domina ac Princeps est, cui Encomia formarum potissima unicè propria, Regia est, cæteræ ministræ: Hæc formæ soliùs munia obit, cæteræ materiæ ingenium referunt. Hæc actus verus & ultimus est, quia actuat materiam, eamq; determinat ad recipiendam certam speciem. Hæc verè etiam *èid* seu species est, quia non modò speciosum materiæ ornamentum est, sed & ipsum specificat compositum idq; in determinatâ specie constituit. Hæc dat esse rei specificum, dat distingvi specificum, dat operari specificum. Per eam enim res in esse suo constituitur, & per eandem ab omnibus aliis rebus distingvitur. Talis in homine est anima rationalis, in cane anima canina, in leone anima leonina &c. Numerum harum formarum nôsse qui vult, numerosissimas adeat species. Harum quot sunt, tot formæ specificæ sunt. Unde jure optimo nos de speciebus omnibus corporis naturalis asserere possumus, quod *Ulysses Aldrovandus in Proæm. de Insect.* Non solum, inquit, variæ animæ dotes, sed variæ quoq; animatorum animæ. Hoc enim nemini non in confesso est, differentem esse non individuo tantùm seu numero (ut Dialectici loqvuntur) sed etiam specie animam bovis ab animâ leporis, & aliam esse canis, ursi, milvi, corvi, balenæ, delphini, aliam alterius, & pyri arboris diversam animam esse ab animâ pruni, cerasi, pomi. Sunt profectò animarum tot differentiæ, quot animatorum species, & illæ quidem differentes facultatibus & efficacis, quæ tametsi mutilum evadat corpus, in animâ suâ constanter permanent, nec partium defectu, corruptelâ aut privatione unquam obliantur, quamdiu anima superstes in corpore vitam exercet.